

na refundendarum expensarum. *Et ita traditur in l. sanc-*  
*mus, supra de iud.* Vnde si ego citor ad diem Lunæ per pri-  
mum edictum, & non compareo, deinde citor rursus ad  
diem Saturni pro alio edicto, si die Saturni compareo,  
non audior volente citante, nisi refundam ei expensas,  
quas ob meam absentiam tulit die Lunæ. Sic etiam si  
in secunda citatione non venirem, sed tandem in tertia:  
quamvis non sim contumax ad hoc, ut possim conde-  
mnari definitiue: quia dum citatus tertio venio, contu-  
maciam præcedentem purgo: tamen ab illis expensis  
non sum liber, quas aduerfarius meus fecit me absente,  
vel in itinere faciendo, vel in aduocatis. Sed hic nota-  
bunt Domini mei, quod ad illam condemnationem ex-  
pensarum non erit opus sententia interlocutoria: non  
enim petet is, qui semper comparuit, ut iudex pronuntiet,  
vel condemnnet eum, qui absuit, in expensis: sed satis  
est, si is, qui absuit, reuersus realiter, id est, promite offre-  
rat expensas, liquidandas tamen per iudicem: vel etiam  
sufficiet, tantum verbaliter offerre, id est, se paratum re-  
fundere expensas, si satisdet, vel caueat, argumento l. § 4.  
22 *tuliber rationem, Dig. §. de statuliber.* vbi t̄ statuliber, id est,  
iussus esse liber ex certo tempore, vel sub conditione, si  
rationibus putatis soluerit reliquum, quam nos voca-  
mus *Restam*: & deinde cum satisfactione offerat, se ali-  
quid, quod nondum est liquidum, soluturum: certè  
ille fit liber. Si autem citatus tribus edictis, penitus non  
veniret: tunc docetur hic alia practica, quod nimurum  
detur ei annus: intra quem si redeat, refectis prius expen-  
sis audiatur. Si autem non veniat intra annum, ut tunc  
procedatur ad definitiuam. Quo tamen loco textus no-  
ster propter obscuritatem varie intelligitur à doctori-  
bus: dum enim dicit, post tria edicta dari auctori absenti  
alium annum, quidam existimauerūt, etiam antea fuisse  
datum annum: quia dictio *Alius*, sit dictio implicatiua,  
ut habemus text. in l. non solum paragraph. est & *alius*, Digest. de  
procuratoribus. Et sic putabant ad hoc, ut contra auctorem  
contumacem posset procedi ad sententiam definitiuam,  
requiri primo tria edicta, quorum singula distabat  
ab altero triginta diebus, & sic haberet tres menses: de-  
inde vnum annum, & tertio alterum annum, quod esset  
tempus duorum annorum, & trium mensium. Tamen  
reliqui putant tamē requiri tempus trium dilationum,  
& deinde vnum annum. Et si dicas: *Tamen dicitur hic ab-*  
*sentem habere alium annum, quæ dictio Alius, est implicatiua,*  
*quasi dicat: Ultra primum annum adhuc habet alium an-*  
*num.* Respondent t̄ ipsi, quod ista dictio *Alius*, sicut et-  
iam dictio *Etiam*, sit quidem natura implicatiua: tamen  
hoc non loco impliceat: quemadmodum etiam alibi non  
implicat, ut in d. l. non solum paragraph. queratur, Digest. de pro-  
curatoribus. Et sic videmus in sacris etiam literis dictiōnem  
*Alius* non implicare, vbi dicitur, *Crucifixum esse Christum,*  
& *alios duos nequam, vel latrones cum ipso: si Alios dictio impli-*  
*cavet, tunc presumendum esset, etiam Christum fuisse latronem:*  
*quod dicere est placulum, ut glo. hic notat in verbo Aliud, &*  
23 *in d. §. queritur. Sed t̄ quæras, an illud tempus annale posset*  
*prorogari, vel abbreviari, ut deinde detur sententia contra absen-*  
*tem auctorem, quemadmodum diximus supra in l. consentane-*  
*um, vbi singulis citationibus destinantur decem dies, & hic in no-*  
*stra Authentica triginta dies, vbi diximus illud tempus posse restrin-*  
*gi, vel dilatari: & ita seruat consuetudo, ut gloss. hic dicit in*  
*verbo, Triginta dierū: An etiam sic posset ille annus abbrevia-*  
*ri, vel prolongari?* Bald. pulcre responderet, distinguendo.  
Aut enim, inquit, datur alicui tempus, sed ministerio iudicis, & hoc est in arbitrio eius, potest decurtare, vel pro-  
longare, ut est in interuallis citationum. Si autem da-  
tur alicui tempus à l. sine ministerio iudicis, tunc illud  
non potest prolongari, vel breuiari, sed seruanda est  
forma legis ad vnguem: ita ut si non seruaretur, actus es-  
set nullus. cap. indulatum, deregulū iuris, lib. 6. Et sic decem

dies ad appellandum dati, quia dantur à lege, non à iu-  
dice, nec possunt à iudice abbreviari, vel prolongari.  
Vnde t̄ infert aureum dictum Bald. quod si in aliquo  
statuto, vel etiam consuetudine fiat mentio certi tem-  
poris: quia illud datur à lege pro forma, ideo si non ser-  
uetur ista forma, actus est nullus. Et ut exemplo decla-  
rem: Halæ Sueorum, & etiam Winsbergi in ducatu  
nostro, est tale statutum, quod singulis annis certo die  
ciues conueniant, & pro se quisque profiteatur modum  
facultatum, legi sīc selsē an in der Steur. Deinde est  
statutum, quod certo die in ecclesia publice per præco-  
nem proclametur, si aliquem poenitentiam suā pœnitionis,  
ut intra mensem possit venire, & reuocare illam profes-  
sionem, quod possit sine fraude & periurio facere: si  
non veniat aliquis, & consulēs, vel senatores vident a-  
liquem male esse professum, hat sich zu gering ange-  
schlagen: tunc habent ipsi ius redimendi, Außzulösen/  
wie sich einer selbs hat angeschlagen. Finge iam, consules  
alicuius loci, non exspectato tempore totius mensis,  
quendam vocasse, vnd jn außzulösen haben / an illud te-  
neat vigore statuti? Cerrè non: quia licet statutum in se  
valeat: tamen forma eius debet ad vnguem obseruari.  
Sed forma eius est, ut post professionem exspectetur  
mensis integer, intra quem si aliquis non reuocet profes-  
sionem suam. So mag manjn erſt außzulösen / & alias non.  
Ex quibus videmus in nostra Authentica esse duplex  
tempus constitutum absenti auctori. Primo tempus tri-  
um edictorum vel citationum, ita ut singulæ citationes  
distent à se triginta diebus: quæ dilatio quidem est l. sed  
datur ministerio ipsius iudicis, quia ipse interloquitur  
decernendo citationem: & ideo illud tempus citationū  
potest à iudice prolongari, vel etiam breuiari, prout  
causæ qualitas exegerit, & ita seruat consuetudo, ut hic  
rectegloss. in verb. triginta dierum. post pr. not. Sed deinde  
cum in Authent. dilationi alius annus additur, ille datur  
à nuda lege, iudice etiam in iusto, vel rumpente: & ideo  
non posset hoc tempus abbreviare, per ea, quæ diximus.  
Nunc t̄ procedendo in practica, cum auctor tribus vici-  
bus citatus à reo: sed contumaciter abeat, pergit etiam in  
anno dato à l. esse contumax in non comparendo: tunc  
27 dicitur hic singulariter, quod possit procedi contra i-  
plum absensem, etiam per sententiam definitiuam:  
quod extendite esse verum, siue lis sit contestata, siue  
non, contra illum auctorem, id quod textus hic innuit,  
cum dicit, hoc locum habere, id est, ad definitiuam proce-  
di posse, etiam si lis non sit cœpta, id est, non sit contestata.  
Tunc enim dicitur cœptalis, vel res in iudicio geri,  
quando lis contestatur, ut hic gloss. in verbo Non sit, & est  
pulcer text. in l. & quia, in fin. Digest. de iuris dict. omnium iud. v-  
bi mandante mortuo, priusquam res geratur per delega-  
tum, id est, priusquam lis contestetur, mandatum exlpirat  
de iure civili. Nam antequam lis contestetur, non  
potest dici, rem in iudicio cœptam, cum adhuc sit integrum  
parti citatae, iudicem istum ex causis recusare, per  
text. in leg. nemo supra ds iuris dict. omnium iudic. Ut sic no-  
stra Authentica de novo introducat, & contra communi-  
nes regulas iuris, quod etiam lite non contestata in odii  
auctoris absensis possit ad definitiuam sententiam  
perueniri. Et si dicas, hoc pugnat cum l. fin. §. illud, in vers.  
quia hoc speciale priuilegium, infra de temp. ap. arguendo à spe-  
ciali. Nam illic dicitur speciale esse in causis appellatio-  
num, quod lite non contestata possit etiam procedi ad  
definitiuam. Ergo in contrarium deber est ius commu-  
ne, ut scilicet lite alibi non contestata, non possit procedi  
ad definitiuam, ut in rub. & nig. ext. ut lit. non contest. Ad hoc  
respondeo verum esse in causis appellacionum receptū  
esse pro singulariure, ut lite non contestata possit ad de-  
finitiuam procedi: quod intelligo in casu, quo altera pars  
abesset. Nam si vitraq; adesset corā iudice appellacionis;  
tunc